

PAVLI IOVII

re qui existimarent Volucē ex stirpe Alexādri Magni progenitū, tulif se pro insigni viperā, ex Olympiadis fabula puerū parturientem, quōd ea à Dracone se compressam fuisse Iouis imagine prædicaret.

PAVLI IOVII OTHO,

SIVE LIBER PRIMVS.



OBILISSIMI Principatus fundamenta feliciter Otho iecit, Vberti filius, qui ab Asiatico Othone proauo nomen acceperat. Natus est Inuorio in pago apud Verbanum lacum, magnis quidem natalibus, sed patrimonio tenui, & tum adeo afflictis totius familiæ Fortunis, vt quatuor tantum & planè ignobilium vicorum ditione, tot gentiles proceres maiorum suorum nomen tuerentur. Hi fuere Inuorium, Mafsinum, Vergantum & Olegium. fundos etiam sat amplos Mediolani extra portam Iouiam à Sulcano Vicecomite emptos constat. Frequentibus enim Barbarorum eruptionibus & ciuili præsertim bello, cuncta apud Insubres cōturbata prostrataque erant, vt non mirum sit, tantas opes in publica calamitate corruisse. Sunt qui ex genitura propter admirabiles syderū concursus, Imperium ei à Mathematicis prænunciatum fuisse asseuerent, verum ipse repudiatis prorsus Astrologis, id vnum pro insigni ostento iocabundus accepit, quod Vicecomite Placētino Mediolani Præ-tore, qui tum erat supremæ potestatis Magistratus, & Othone Cæsare imperante in lucem esset editus. Enituit satis mature in adolescente ingenium alacre, præaltum, ardens, & quod mirabile erat, graui prudētia temperatū: accesserat corporis atque oris dignitas maxime excellens, statura enim erat excelsa, & nexu neruorum longe firmissima, petore autem lato atque extanti, & radiosus prægrādibusque oculis, eloquentia vero illustri exquisitisque literis quum oporteret ad iocunditatem exornata, adeo vt quum omnibus magnopere placeret, etiam sibi meliore Fortuna dignus videretur. Itaque ardēte ciuili bello Gallia Cisalpina, domo egressus Romam se contulit ad Octavianū Vbal-dinum Cardinalem aūthoritate atque opibus florentem, à quo benigne susceptus adscribitur familiæ inter honestissimos. Nec multo post, quum in ea domo aliquandiu virtutis eximix perurbanæque comitatis, & naturæ nequaquam fallacis vel insidiosæ testimonia passim reliquisset, Octauiano præalta semper agitāti, in ocio pariter atque negotio comes esse cœpit, adeo vt munera legationum obeuntē & trans alpes accitum inter præcipuos sequeretur, hisque maxime tēporibus extra ordinē necessaria domesticæ disciplinæ officia, cæteris languentibus

tibus